

citum: Libera Matrimonia esse antiquitus placuit, ideoque pacta, ne liceret divortere, non valere, & stipulationes, quibus pœna irrogantur ei, qui, quæve divortere fecisset, ratas non haberi constat: Et in Jure Canonico cap. Gemmas 29. de Sponsalibus, & Matrimonio sic clare disponitur: Cum Itaque libera Matrimonia esse debeant, & ideo talis stipulatio propter pœnae interpositionem sit merito improbanda, mandamus quatenus si ita est, eundem B. ut ab extortione prædictæ pœnae desistat, ecclesiastica censura compellat.

70 Nihilominus probabilis id fieri posse, nempe licite, & valide apponi posse in sponsalibus pœnam solvandam ab eo, qui ab illis injuste recesserit, & talem conventionem pœnam obligare, affirmant Godofr. in cit. l. Titia 134. ff. de verb. obligat. vers. Quia inhonestum: Barbosa. in cit. cap. Gemmas 29. de spons. num. 89. Engel lib. 4. Decr. tit. 1. §. 2. n. 7. Reiffenstuel ibid. d. n. 187. Layman lib. 5. tract. 10. part. 2. c. 1. n. 8. Henno tom. 2. tract. de Matrim. disp. 1. q. 9. conclus. 2. Bosco in Theol. Sacrament. disp. 11. de Matrim. sect. 1. concl. 11. Basilii Pontius de Matrim. l. 12. cap. 19. num. 8. Coninch. disp. 22. dub. 5. Diana part. 3. tract. 4. resol. 2. 1. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. de jurament. cap. 23. num. 5. Vasquez Opus. de testament. cap. 3. num. 38. Castropal. de Sponsal. disp. 1. punct. 9. n. 3. Gobat tract. 10. cas. 4. d. num. 172. Perez de Matrim. disp. 7. sect. 1. n. 6. Delbene cap. 8. disp. 19. sect. 4. Haunold. de justitia tom. 1. tract. 4. d. 4. d. num. 362. Molina, Lessius, La Croix lib. 6. part. 3. n. 148. cum pluribus aliis ibi citatis, & valde probabiliter censet Pihing. lib. 4. tit. 1. sect. 1. n. 23. vers. Extendantur, & plures alii.

71 Et ratio est, quia tales pœnales conventiones, nec sunt contra Jus naturale, nec contra Jus positivum, adeoque valida sunt & licita. Quod non sint contra Jus naturale, concedunt omnes, etiam ipsimet adversarii, cum ipsimet Deus injuste resiliendi apponant pœnam damnationis æternæ, ut patet supran. 88. & Ecclesia pœnam pecuniariam, carceris, & excommunicationis, ut patet supra n. 56. & 57. quod non facerent, si appositio pœnae solvendæ ab injuste resiliente esset contra Jus naturale.

72 Quod autem tales conventiones pœnales non sint contra Jus positivum, tum civile, tum canonicum, clare patet, quia in tantum in allatis juribus reprobantur tales pœnales conventiones, in quantum per ipsos læderetur libertas ad matrimonium requisita, prout fatentur communiter etiam ipsimet adversarii, eo quod hanc rationem allegent omnia supra citata Jura: Atqui, tales conventiones pœnales non lædunt libertatem ad Matrimonium requisitam, ergo &c. Probatur minor: Libertas ad Matrimonium requisita non tollitur per graviores pœnas, nempe per pœnas corporis afflictivas, per carceres, per excommunicationem, per pœnam damnationis æternæ, sub quibus à Deo, & ecclesia compelluntur sponsi ad non resiliendum injuste, & sine legitima causa à promisso Matrimonio; ergo neque libertas requisita ad Matrimonium tollitur per dictam pœnam conventionalem omnibus supradictis longe minorem, arg. leg. 22. ff. de adult. Quod autem pœna æterna gravior, & major sit pœna temporali, de se patet, & quod corporalis gravior, & major sit pecuniaria, clare constat, argument. leg. In servorum §. final. ff. de penis; & quod excommunicatio sit gravior, & major pœna, quæ in ecclesia dari possit, habetur expresse in cap. Corripiantur 17. caus. 24. q. 3. ibi: Quia pœna in ecclesia nulla major est.

73 Tum quia, possit negari suppositum, quod per dictam conventionem pœnalem tollatur libertas, cum contractis rite sponsalibus, nulla pars libertatem amplius habeat resiliendi injuste, & sine legitima causa à dictis sponsalibus, argum. cap. Ex literis 10. de sponsalibus, ibi: Si non acquirerit monitis, ecclesiasticis censuris compellat, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat. Quia omnes etiam ipsimet adversarii concedunt, sponsalia rite contracta obligare sub mortali, adeoque sub pœna æterna ad promissum Matrimonium effectuum, sicut libertatem adimunt sponsis injuste, & sine legitima causa resiliendi, eis-

que necessitate moralem effectuum dictum promissum Matrimonium imponunt, & consequenter libertas moralis non datur ad resiliendum sine causa. Quod enim est inhonestum, hoc secundum leges est impossibile, quia de jure illud tantum possibile, & fieri posse censetur, quod licite potest; cap. Fraternalitas 15. caus. 22. quest. 2. junctâ Glossa ibidem verb. Quod potest: Hinc allegata Jura ab adversariis prohibent quidem pœnas conventionales tollentes libertatem ad resiliendum juste, & cum legitima causa; quod & nos ultro concedimus: at non prohibent pœnas conventionales ad non resiliendum injuste, & sine legitima causa, cum ad injuste resiliendum, contractis rite sponsalibus, moralem libertatem nulla pars amplius habeat; sicut talia jura permittunt fieri conventiones pœnales ad non resiliendum injuste, & sine legitima causa, quæ est nostra conclusio.

74 Tum etiam quia valide, & licite apponi posse pœnam, ne quis injuste à sponsalibus resiliat, dictamque pœnam ab injuste resiliente posse licite exigi à parte innocente, & debere solvi à parte rea injuste resiliente, conceditur expresse, & statuitur in Constitut. seu Novella 18. Leonis Imperatoris: Ut in sponsalibus constituta pœna exigatur, vere digna ut integra legatur; unde cum ibi habeatur tam clare, & explicitè dicta dispositio, cessat penitus ratio dubitandi de Jure civili. Immo etiam de jure canonico, quia ubi casus, vel materia in Jure canonico obscure disponitur (ut in præsentibus, cum in cit. cap. Gemma 29. de sponsalibus sermo sit de sponsalibus inter pueros ante septennium contractis per parentes, ut patet ex textu, & fatentur omnes cum Sanchez loc. cit. num. 3. à quibus utpote invalidis non licet argumentari ad sponsalia ab adultis valide contracta; in Jure autem civili habetur de tali casu, vel materia clara dispositio ut in præsentibus, cum clara constitutio, seu Novella 18. Leonis Imperatoris continet ad rem clarissimam, & expressissimam dispositionem) etiam in foro canonico causa decidit juxta Jus civile, argum. cap. Intelleximus 1. de novi operis nuntiatione, ubi Sommus Pontifex Lucius III. sic expresse pronuntiat: Sicut leges non dedignant sacros canones imitari, ita & sacrorum statuta canonum, Principum constitutionibus adiuvantur; Ubi Glossa verb. Adjutantur. notabiliter infert: Et ita in causa ecclesiastica leges possumus allegare, ut etiam in causis deficiant, possit judicari secundum leges, & Abbas ibidem n. 3. merito concludit quod causa ecclesie debet decidi per Jus civile in defectum canonum, omnes enim leges Principum non contradicentes canonibus sunt approbate per ecclesiam, ut patet hic.

(Sufficere videbantur in præcedentibus asserti confirmationem quæ sit. A pag. 140. col. 2. pag. 148. col. 2. & lit. D inter alia, col. 1. pag. 59. lit. E pag. 148. col. 2. pag. 153. col. 1. pag. 154. col. 1. atque pag. 158. col. 2. sunt subnexa: ceterum perlegantur ex Part. corpore fere omnes tit. p. 1. & 4. ex reliquis primordiales, in quibus de rebus ecclesiasticis tractatur.)

75 An, & quando resiliens à sponsalibus amittant arrhas? Vide verb. Arrha.

76 Sponsalia rite contracta variis justis de causis dissolvi possunt. Primo sponsalia puberum etiam jurata valide, & licite dissolvi possunt mutuo consensu, Communis, per text. in cap. Præterea 2. de sponsalibus, juncto ejus Summario, in quo expresse sic habetur: Sponsalia de futuro dissolvuntur, si Sponsi se dissolvant, etiam si fuerint jurata: Et ratio est, quia, ut dicitur in cap. Omnis res 1. de Regul. Juris in 6. Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, & concordat l. Nihil 35. ff. de Regul. Jur. ibi: Nihil tam naturale est, quam eo genere quidquam dissolvi, quo colligatum est, cum similibus. (Vid. lit. J. pag. 378. n. 65. & verb. Solutio.)

77 Secundo dissolvi possunt sponsalia per recessum unius à sponsalibus: Recedente enim una parte à sponsalibus, siye juste, siye injuste, etiam altera pars recedere potest, Communis. Et quidem si una pars juste recedat, jam hoc ipso solvit sponsalia, & altera pars

libera manet; si autem injuste recedat, procedit illud vulgatum: Frangenti fidem, fides frangatur eidem, argum. leg. Qui fidem 16. de transactionibus, & cap. Frustra 75. de Regul. Juris in 6. ibi: Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat. (Ad rem lex 56. ibi: La qual pena: tit. 18. part. 3. lex 58. tit. 5. 23. tit. 4. p. 5.)

78 Quando tamen una pars injuste recedit, non tenetur altera pars recedere, sed potest injuste recedentem tenere sibi obligatum, ita ut hic teneatur eidem volenti adhuc nubere. Communis. Et ratio est, quia peccata suos debent tenere Auctores, l. Sancimus 22. Cod. de penis, cap. Quæsitus 2. de his, quæ sunt à majori parte Capituli: Et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit; cap. Cognoscimus 2. de Constit. Nec debet aliquis alterius odio prægravari, cap. Non debet 22. de Regul. Jur. in 6. Non debet 74. ff. de Regul. Jur. Et nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest; l. Non fraudantur 134. §. 1. ff. de Reg. Jur. Ne videatur de sua malitia commodum reportare, cap. Intelleximus 7. de Judoicis. (Vid. lit. A pag. 111. num. 88. lit. D pag. 91. n. 43. lit. I pag. 37. n. 122. & lit. P pag. 74. prope med. col. 1.)

79 Tertio dissolvuntur sponsalia, si unus sponsorum sine licentia alterius discedit animo non redeundi, seu sine spe brevi redeundi, tunc enim altera pars ad alia vota transire libere potest. Communis, textu expresso in cap. De illis 5. de sponsalibus, ibi: De illis autem, qui præstito juramento, promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea esse incognitis, dimittunt terram, & ad partes alias transferentes, hoc sibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ipsis; si non amplius in facto est processum, ad alia se vota transferre, juncto ejus summario sic dicente: Si sponsus de futuro ante copulam ad remota se transfert, sponsa libere cum alio contrahat.

80 Nec obstant leges civiles, ut leg. Si is qui 2. Cod. de sponsalibus, ubi statuitur, sponsum absentem intra eandem provinciam biennio esse expectandum; leg. Liberum est 2. Cod. de repudiis, ubi sancitur esse triennio expectandum, si extra provinciam absit; leg. Sape juste 17. de Sponsalibus, ubi decernitur triennio, quadriennio, & ulterius esse expectandum, si unus ex sponsis ob aliquam causam necessariam absit. Non obstant, inquam, quia præfatæ leges correctæ fuerunt à Jure canonico cit. cap. De illis 5. de sponsalibus; Cui juri canonico absolute standum esse in utroque foro, quando sponsus alio se confert ex voluntaria, justâ quidem, sed non necessaria causa, docent Henriquez, Rodriguez, alisque citatis Sanchez lib. 1. de Matrimo. disput. 54. num. 3. Tamburin. loc. cit. §. 1. cap. 1. num. 9. apud Sporet loc. cit. num. 244. & minime attendendas esse prædictas leges in nostro casu, quando scilicet unus sponsorum sine licentia alterius longius discedit animo non redeundi, seu sine spe brevi redeundi, docet cum aliis Reiffenstuel loc. cit. num. 215. Quamvis tamen plures Doctores, ut Silvester, Canisius, Layman loc. cit. num. 14. Glossa & alii apud ipsos dicant, prædictas leges non esse à Jure canonico correctas in casu, quo sponsus ex causa necessaria, seu voluntaria, justa tamen, & utili, v. g. ob bellum justum, ob studium, ob negotiationem, & hujusmodi, diutius absit, deinceps reversurus; & in similibus casibus sponsam debere expectare saltem tantum temporis, quantum constituit Jux ecclesiasticis illud moderando ad breviorum terminum, & significando sponsum, intra quem teneatur redire, alioquin sponsam liberam fore. Quæ opinio est probabilissima, & meo judicio in praxi sequenda, cum sic concilietur Jus civile cum canonico, nec sit contra nostram conclusionem sub num. 75. nam ipsa loquitur de casu, quo unus sponsorum sine licentia alterius longius discedit animo non redeundi, seu sine spe brevi redeundi. Hinc in casu, quo deinceps reversurus absit ob aliquam supradictam necessariam, seu voluntariam, justam tamen, & utilem causam, tunc sponsa revera expectare debet aliquanto tempore judicis arbitrio, consideratis occurrentibus circumstantiis, sig-

nificando interim sponso intra quod tempus redire teneatur, alioquin ipsam sponsam liberam fore, ut jam dictum est: Et sic in praxi observari assertit. Sporet loc. cit. num. 244. Et sic si Sponsus sit in loco propinquo, quod requirit, & admoneri debeat, ut intra certum tempus nubat, docent Sanchez l. c. num. 111. Reiffenstuel l. c. n. 215. & alii passim. (Leg. 8. tit. 1. p. 4. ibi: tres años:.)

82 Quarto sponsalia dissolvuntur per dilationem niam Matrimonii ultra tempus, vel terminum præfixum ad finiendam obligationem: Qui enim differt inire Matrimonium ultra tempus, vel terminum in sponsalibus sic præfixum, censetur à sponsalibus resiliere, sicut ut altera pars etiam juste resiliere, & ad alia vota se transferre possit. Communis, per text. in cap. Sicut 22. de sponsalibus, & leg. Fidejussor 29. §. final. ff. Mandati: Et ratio clara est, quia ut habetur in cap. Contractus 85. de Regulis Juris in 6. Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur, & concordat l. Contractus 25. ff. de Regul. Juris.

83 Si autem dilatio fiat ultra tempus, vel terminum præfixum, non ad finiendam, sed tantum ad differendam seu ad exequendam obligationem contrahendi Matrimonium, ita ut usque ad illud tempus, v. g. usque ad Pascha, nulla pars obligetur, sed solum incipiat obligatio post illud tempus, tunc nequeunt dissolvi sponsalia ex eo, quod intra illum terminum Matrimonium non sit effectuum, sed manet adhuc obligatio illud effectuum. Communis, argum. l. Continuis 137. §. 2. ff. de verbor. obligat. & l. Celsus 13. ff. de Receptis, qui arbitrium receperunt. Et ratio est, quia cum tempus est præfixum non ad finiendam, sed tantum ad differendam, seu exequendam obligationem contrahendi Matrimonium, duplex consurgit obligatio: Prima Matrimonium contrahendi: Secunda tali tempore contrahendi: Unde licet hæc secunda obligatio violetur, & ob eam violationem altera pars juste resiliat, manet tamen prior obligatio absoluta, & principalis, scilicet Matrimonium contrahendi, si altera pars adhuc velit.

84 Si vero nullum certum tempus præfixum sit ad Matrimonium contrahendum, discurrendum est sicut supra num. 53.

85 Quinto sponsalia dissolvuntur per ingressum in Religionem professione sequuta; Communis: Matrimonium enim Religiosam solvit etiam ipsum Matrimonium ratum, c. Ex publico 9. de convers. conjug. adeoque multo magis sponsalia de futuro.

86 Per solum etiam ingressum in Religionem, licet professione nondum sequuta, dissolvuntur sponsalia ex parte illius, qui in seculo remanet, ita ut is à promissione sit liber, & si velit, ad alia vota se transferre possit; Sic Innocentius in cap. Veniens, Qui Clerici, vel coenobites; & ibi Ancharan. num. 1. Joan. Andr. n. 2. Sanchez l. 1. disp. 41. num. 2. Layman lib. 5. tract. 10. p. 1. c. 2. num. 3. Sporer l. c. num. 247. cum Soto, Navarr. Henriquez, Rodriguez, Coninch, Tamburin. & aliis ibi citatis, Reiffenstuel l. c. num. 226. restans de communi aliorum contra Durandum, & alios apud Sanchez l. c. Et ratio est, quia illa pars, quæ Religionem ingreditur, ipso facto significat se mutasse voluntatem, & sponsalibus, æt juri suo renuntiasse, adeoque relinquat alteram partem liberam: Tum quia per ingressum in Religionem fit notabilis mutatio ex parte ingredientis: Per notabilem autem mutationem ex parte unius solvuntur sponsalia, & tollitur obligatio ex parte alterius; arg. cap. Quemadmodum 25. de Juramentis, & cap. Per vestras 7. de donation. inter vivos, & uxorem.

87 Per solum autem ingressum in Religionem, professione non sequuta, non dissolvuntur sponsalia ex parte ingredientis, sed manet adhuc obligatio ex parte ipsius, ita ut si remanens in seculo velit expectare, & adhuc eum habere velit, teneatur eam ducere, si non secuta professione à Religione egrediat. Engel lib. 4. decret. tit. 1. §. 3. num. 7. Pihing. ibi num. 50. Reiffenst. ibid. num. 227. Sporer l. c. num. 248. Layman l. c. & alii communiter contra Sanchez l. 1. disp. 42. num. 4. dicentem etiam

etiam ex parte ingredientis dissolvi sponsalia, saltem si bona fide ingrediatur: Et ratio nostra est, quia solus ingressus in Religionem, non sequuta professione, nec ex natura sua, nec ex jure aliquo positivo solvit sponsalia, adeoque &c. Quod enim ex natura sua non solvat sponsalia, clare patet, quia Novitius egredi potest è Religione, & sponsalia adimplere: Quod autem ea non solvat ex Jure aliquo positivo, constat ex eo, quod nullum tale Jus allegari possit; nam cap. Verum 2. & cap. Ex publico 7. de conversione conjugatorum, cum similibus non loquuntur de ingressu, sed de sola professione, adeoque talis Juris positivi dispositio facta de sola professione, non debet extendi ad simplicem ingressum sine professione, quia cum sit odiosa, utpote in præjudicium alterius vertens, restringi potius, quam extendi debet, argum. cap. Odiā 15. de Regul. Juris in 6. ibi: Odiā restringi, & favores conveni ampliare.

88 Sexto sponsalia dissolvuntur ex parte utriusque per susceptionem Sacrorum Ordinum. Communis. Et ratio est clara, quia per susceptionem Sacrorum Ordinum redditur impossibilis adimpletio sponsalium, cum Ordines Sacri ob solemne votum castitatis ipsis annexum reddant insipientes incapaces Matrimonii contrahendi, cap. Presbyteris 8. dist. 27. cap. Ante 1. cap. Sacerdotibus 2. dist. 31. cap. Omnium 1. cap. Mulorum 2. cap. De illo 4. cap. Si quis 7. cap. Subdiaconis 9. dist. 30. & cap. Quo votum unice, de voto, & voti redempti in 6. Extravagant. Joann. XXII. Antiquæ concertationi unice, de voto, & voti redempti. Concil. Trid. sess. 24. Can. 9. adeoque &c.

89 Non dissolvuntur tamen sponsalia per susceptionem Ordinum Minorum saltem ex parte eos susipientis. Communis. Et ratio est evidens, quia per susceptionem Ordinum Minorum non redditur impossibilis adimpletio sponsalium, cum Ordines Minores non repugnent cum Matrimonio, sed promoti ad ipsos possint adhuc valide, & licite nubere, adeoque sponsalia contracta tenentur, quantum est ex parte sua, adimplere: dicitur autem notanter saltem ex parte eos susipientis, quia si sponsus, inscia, vel invita Sponsa, suscipiat Ordines Minores, probabilius solvantur sponsalia ex parte ipsius Sponse, ita ut hæc alteri pro libitu nubere possit, ut contra Sanchez l. 1. disp. 47. num. 1. docent Gobat tract. 10. cas. 8. n. 321. Tannerus de sponsalibus disp. 8. tract. 4. q. 1. n. 53. Sporer l. c. n. 256. Reiffenst. l. c. n. 230. & alii. Et ratio est, quia tunc Sponsus revera videtur remittere Sponsæ jus suum in illam, cum suscipiendo Ordines Minores censetur velle etiam ascendere ad Ordines Majores, & sic statum assumere incompossibile cum Matrimonio, per Jura adducta num. anteced. Tum quia videtur tunc fieri ex parte sponsi notabilis mutatio, ob quam communiter nollent puellæ contrahere cum illo, quem scirent in Clericum ordinandum, adeoque ob similem Sponsi notabilem mutationem solvantur sponsalia ex parte Sponsæ; arg. c. Quemadmodum 25. de jurejurando, & cap. Per vestras 7. de donation. inter virum, & uxorem.

90 An autem etiam per votum ingrediendi Religionem, aut suscipiendi Ordines Sacros, vel etiam per simplex votum Castitatis dissolvantur sponsalia? Variant Doctores, & quidem quoad votum ingrediendi Religionem Layman l. c. num. 4. Gobat l. c. n. 314. & alii volunt, ipsum dissolvere sponsalia ex parte utriusque, id est, tam ex parte vovens, quam non vovens, quia, dicunt ipsi, promissio Matrimonii tacite involvit conditionem, seu exceptionem: Nisi elegero statum perfectionem: Castrop. autem de Sponsalibus disp. 1. punct. 20. num. 4. Tambur. l. c. n. 7. Sporer l. c. n. 252. Reiffenstuel l. c. n. 234. La Croix l. 6. part. 3. num. 190. & plures alii probabilis docent, quod per tale votum Religionis non illico dissolvantur sponsalia, sed solum suspendantur ex parte ipsius vovens: Et ratio est, quia tale votum ante Professionem sequutam non constituit statum, sed relinquit potestatem adhuc implendi sponsalia, cum fieri possit, ut talis vovens in Religionem nullibi suscipiatur, vel susceptus tempore Novitiatum iterum egrediatur, in quo casu, cum cesset obligatio

voti, subintrat obligatio servandi sponsalia, si altera pars in seculo remanens adhuc sic velit, ut in simili jam dictum est supra num. 83. de ingrediente Religionem sine præcedente voto. Nec illa tacita conditio, seu exceptio asserta ab adversariis intellecta in promissione Matrimonii quidpiam probat contra nostram conclusionem, quia talis conditio, seu exceptio intelligitur solum in ordine ad ipsum statum perfectionem Religionis in effectu, & sequuta Professione, non autem in ordine ad solum ejus votum, vel ad reale ingressum sine effectu Professionis: Tum quia tacita conditio, seu exceptio inest solum votis, seu promissionibus Deo factis, non autem factis homini, aliis enim posset quis cuncta promissa etiam jurata homini facta ex illa tacita conditione, seu exceptione negligere, quod falsissimum est, uti late ostendit Castropalao tract. de juram. Et hoc clare ostenditur exemplo; si quis enim vellet dare, vel vendere Deo domum, seu vineam, aliamve rem, quam alteri jam serio promissit, & ad quam alter jus jam habet, licet certo non liceret, nec valeret, utpote tertio injuriosum, quamvis aliis Deo, aut pie cause dare talem rem sit perfectius, quam dare homini. Aliud autem est in votis, seu promissionibus Deo factis, utpote in quibus Deus ipse solus promissarius est, qui utique remittit, vel remittere censetur votum minus perfectum, si loco ipsius perfectius præstetur, c. Pervenit 3. de jurejurando: Ratio autem potissima, cur liceat Religionem ingredi, & profiteri cum præjudicio Sponse, non est, quia Religio est status perfectior, sed quia à jure sic concessum est, argum. Extravagant. Joann. XXII. Antiquæ concertationi unice, de voto, & voti redempti.

91 Conveniunt tamen Doctores omnes, quod per simile votum dissolvantur illico sponsalia ex parte non vovens, seu remanentis in seculo, quia hoc ipso, quod quis licite vovet assumere statum repugnantem Matrimonio, censetur renuntiare sponsalibus & juri sibi ex ipsis acquisito, adeoque partem alteram relinquere liberam, ut cui velit, nubat: Licet etiam possit, si velit, expectare effectuacionem Professionis, & ea non effectuata, comparem suam ad Matrimonium urgere, per dicta supra num. 82. & 83.

92 Quoad votum suscipiendi Sacros Ordines, ipsum solvere sponsalia ex parte utriusque, tenet Sotus de justitia l. 5. q. 1. art. 3. Henriquez l. 11. c. 14. num. 4. Bonacina q. 1. de Matrim. p. 5. n. 20. Dicastill. disp. 478. Gobat l. c. num. 319. & alii quicumque tenentes, quod post contracta sponsalia possint suscipi Sacri Ordines. Et ratio istorum est, quia Sponsalibus videtur inesse hæc tacita conditio seu exceptio: Nisi voluero ad statum perfectionem transire, qualis revera est status clericalis respectu status conjugalis, adeoque &c. Sanchez autem l. 1. disp. 47. num. 4. Coninch. disp. 23. dub. 3. num. 25. Castrop. de sponsalibus disp. 2. punct. 19. Rebell. l. 4. de Matrim. q. 9. sect. 5. Engel l. 4. decret. tit. 1. num. 8. Pirhing. ibi. num. 57. Reiffenst. ibi. num. 235. Perez disp. 9. sect. 6. La Croix l. 6. part. 3. num. 196. & 200. cum Palud. Krim. & aliis ibi citatis, & plurimi alii, & quotquot docent non posse licite suscipi Sacros Ordines post contracta sponsalia, probabilis docent per votum suscipiendi Sacros Ordines non dicitur sponsalia ex parte sponsi vovens; & ratio patet per dicta supra num. 86. ubi enervatur etiam illa prætexta ab adversariis tacita conditio, seu exceptio imbibita sponsalibus: Tum quia hoc ipso, quod sponsus in casu non possit licite suscipere Sacros Ordines, nec licite, nec valide potest emitte votum illos suscipiendi, cum votum de re illicitum non licitum, nec validum sit, arg. cap. Quanto 18. de jurejurando.

93 Per tale autem votum solvi sponsalia ex parte sponsæ, tenent Sanchez l. c. num. 4. Reiffenst. l. c. num. 235. & alii passim Doctores utriusque adductæ sententiæ: Et

ratio patet ex dictis supra num. 83. & 87. Quamvis enim tale votum sit nullum, ipse tamen sponsus, quantum est in se, revera intendit, & vult assumere statum cum Matrimonio incompossibilem, adeoque censetur renuntiare sponsalibus, & juri sibi ex ipsis acquisito ita ut sponsa, cognito tali voto, possit pro libitu, cui voluerit, nubere, c. Veniens 5. Qui Clerici, vel voventes, Vel ita nulliter voventem ad sibi nubendum per viam juris cogere.

94 Quoad votum simplex perpetuæ continentiæ idem dicendum est, ac de voto suscipiendi Sacros Ordines; Quod videlicet non dissolvat sponsalia ex parte vovens, bene vero ex parte alterius. Sic Barbosa in c. Veniens 5. Qui Clerici vel voventes num. 2. Abbas ibi. n. 2. & Jo. Andreas num. 3. Canonista communiter, ac omnes supra citati Doctores, & alii arg. cit. c. Veniens 5. Qui Clerici, vel voventes: Et ratio est eadem, quæ n. 88. & 89. est addita de voto suscipiendi Sacros Ordines.

95 Septimo dissolvuntur sponsalia per Matrimonium valide postea, licet illicite contractum cum alia persona. Communis, per textum in c. Sicut 22. c. Si inter 31. de sponsalibus, & c. Duobus modis 1. de Sponsa duorum. Quamvis enim, qui jam valide contraxit sponsalia cum una persona, illicite postea contrahat Matrimonium cum alia, nihilominus tale Matrimonium valet, & sponsalia solvit, etiam si priora sponsalia fuerint juramento firmata, textu expresso in cit. cap. Si inter, ibi: Sive sit juramentum interpositum, sive non, cum similibus.

96 An autem per tale Matrimonium cum alia initum dissolvantur in perpetuum priora sponsalia, ita ut quamvis hæc uxor moriatur aut profiteatur in Religione, sponsus non amplius teneatur ducere primam sponsam, & è contra? Variant Doctores; Paludanus enim, Gabriel, Henriquez, Bonacina, Becanus, Filiucius, Villalob. Lessius, Layman, Sanchez lib. 1. disp. 48. apud La Croix lib. 9. part. 3. num. 201. Tannerus tom. 4. disp. 8. q. 1. dub. 4. num. 56. & 57. Dicastill. disp. 1. dub. 37. Pirhing. l. 4. Decr. tit. 1. num. 56. Reiffenst. ibi. n. 243. & alii affirmativam sententiam tenent, & dicunt id satis colligi ex cit. cap. Sicut 22. cap. Si inter 31. de sponsalibus, cap. Duobus modis 1. de sponsa duorum, & cap. ult. caur. 27. q. 2. ex quibus constat, quod sponsalia per Matrimonium cum alia contracta solvantur, adeoque stinguantur, & non tantum suspendantur: Obligatio autem semel extincta non amplius reviviscit; cap. Quæris 129. dist. 4. de consecr. l. Qui res 89. §. 8. ff. de solution. ibi: In perpetuum enim sublata obligatio restitui non potest: Tum quia superveniens fortior, & major obligatio Matrimonii videtur extinxisse totaliter debiliorem, & minore obligationem priorum sponsalium, sicuti votum strictioris Religionis extinguunt per professionem secutam in Religione laxiore, textu expresso in cap. Qui post votum 5. de Regularibus in 6. (Vid. verb. Solutio.)

97 Negativam autem, nempe non penitus per dict. Matrimonium extinctam esse obligationem priorum sponsalium quoad sponsam, qui primam fidem violavit, sed solum suspensam fuisse, ita ut remanente libero, teneatur priora sponsalia adimplere ducendo primam sponsam, si ipsa velit, defendunt probabilis Adrian. Ledesma. Hurad. Vega, Pontius, Aversa, Mastrius, Castrop. Krimer, Kugler, & alii citati, & secuti La Croix loc. cit. n. 201. Coninch. disp. 23. dub. 4. cum pluribus ibi allegatis, Herinc disp. 4. n. 42. Tamburinus cap. 5. §. 5. n. 3. Sylvius in supplement. S. Thome q. 43. art. 3. Pontas verb. Sponsalia cap. 18. Sporer loc. cit. de sponsalibus num. 263. & alii plures; arg. c. Qui post dem 3. de conversione conjugatorum, ubi statuitur, quod qui invita uxore professionem in Religione emisit, & ob id postea de Jure uxori restituitur, si talis uxor præmoriatur, non possit aliam uxorem ducere, sed teneatur votum continentie observare, cum vivente uxore fuerit quidem tale votum ex parte suspensum, sed non totaliter extinctum; & ratio est, quia licet verum sit consequendum allegata Jura ab adversariis, quod obligatio semel extincta non amplius reviviscit; tamen ex nullo jure constat obligationem illam priorum sponsa-

lium omnino extinctam esse, cum cit. cap. Sicut 22. cap. Si inter 31. de sponsalibus; cap. Duobus modis 1. de sponsa duorum, & cap. ult. caur. 27. q. 2. ut legenti patet, non definiant, an talis obligatio omnino extinguatur, vel solum interea suspendatur?

98 Nec valet paritas adducta de voto strictioris Religionis extinctio penitus per professionem secutam in Religione laxiore, quia in tantum id evenit, quia professio est vinculum, & impedimentum ex se perpetuum, quod sola morte tollitur: Vinculum autem, seu impedimentum Matrimonii, non est perpetuum, sed tantum durans ad vitam conjugis, nec aliter potens dissolvere priora sponsalia, quam quatenus cum illis erat incompatibile, qua proinde incompatibilitate sublata per mortem conjugis, omnino reviviscit prius vinculum, & obligatio, sicuti si quis post votum simplex castitatis emissum Matrimonium contraxit, post mortem conjugis statim votum integre reviviscit, cum tale votum pro tempore, quo duravit illum Matrimonium, fuerit quidem suspensum, ac non omnino extinctum; tum quia non potest dici, quod sponsus per tale Matrimonium illicite cum alia contractum post priora valida sponsalia sit constitutus in meliori conditione, quam antea, quia, ut expresse dicitur in l. Non fraudantur 134. §. 1. ff. de Regul. Jur. Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest: Ne, ut habetur ut expresse in c. Intelleximus 7. de Judicis: Ne videatur de sua malitia commodum reportare; adeoque sicuti ante tale illicitum Matrimonium stricte obligatus erat dictis prioribus sponsalibus; ita etiam post solum tale Matrimonium per mortem conjugis, iisdem ligatur, teneturque ducere primam sponsam, si ipsa velit, cum illa per tale Matrimonium remanserit penitus libera à dictis sponsalibus, ut omnes concedunt. Nam rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, textu expresso in cap. Cognoscens 2. de Constitucionibus; & peccata suos debent tenere Auctores, l. Saneimus, d. Cod. de pœnis, cap. Quæsit 20. de his, que sunt à majore parte Capituli: Nec debet aliquis alterius odio prægravari, textu expresso in l. Non debet 74. ff. de Reg. Jur. c. Non debet 22. de Reg. Jur. in 6. (Vid. num. 78.)

99 Sponsalia priora legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora cum alia persona celebrata, etiamsi hæc posteriora sint juramento firmata. Unde standum est priori sponsæ, seu sponso, si ipsa, seu ipse velit, Communis arg. cap. Sicut 22. de sponsalibus, & cap. unice de sponsalibus in 6. Et ratio est quia, quod uni jam promissum est, ac vi promissi Jure debetur, non potest amplius alteri promitti; & si talis promissio alteri fiat, nihil valet, quamvis Juramento firmetur, quia cum tale juramentum utpote in præjudicium tertii sit illicitum, nullimode obligat, textu expresso in cap. Non est obligatorium 18. de Reg. Jur. in 6. ibi: Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum: Cum juramentum non sit institutum, ut esset vinculum iniquitatis; c. Quamto 18. de jurejurando, ibi: Cum juramentum, non ut esset iniquitatis vinculum, fuerit institutum. Et concordat cap. In malis 5. caur. 21. quest. 4. ibi: In malis promissis recidende fides... impia est enim promissio que scelere impletur. (Sup. n. 32.)

100 Priora sponsalia legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora, etiamsi posterioribus sponsalibus accesserit copula, si secunda sponsa conscia fuerit priorum sponsalium. Communis. Et ratio est, quia cum ipsa secunda sponsa conscia fuerit priorum sponsalium, fit eo ipso particeps delicti inique promissionis, adeoque contra Jus prioris sponsæ nihil prætere tendere potest, quia nemo ex delicto suo meliorem suam conditionem facere potest; ut expresse dicitur in l. Non fraudantur 134. §. 1. ff. de Reg. Jur. Ne, ut dicitur in cap. Intelleximus 7. de Judicis: Ne videatur de sua malitia commodum reportare. (num. 78.)

101 Immo priora sponsalia legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora, etiamsi posterioribus sponsalibus accesserit copula, & pars illa, cum qua posteriora sponsalia fuerint contracta, ignara fuerit priorum sponsalium, & consequenter fuerit decepta,

ta, unde adhuc subsistunt sponsalia priora, & nulla sunt posteriora, arg. l. Non dubium 5. vers. Sed & si, Cod. de Legibus; & c. Illud 8. de Jurepatron. Sic Sanch. lib. 1. de sponsal. disp. 49. num. 5. Gutierrez. de Matrim. cap. 27. num. 7. in fine, Henrici. lib. 11. de Matrim. c. 13. num. 3. Reiffenst. l. c. n. 7. & alii contra alios: Et ratio nostra est, quia per injuriam posteriori illatam non debet, nec potest auferri Jus suum priori, cum rem, quae culpa caret, in damnum vocari non debeat; cap. Cognoscens 2. de Constitutionibus: Nec debeat aliquis alterius odio praevariari, l. Non debet 74. ff. de Regulis Juris, c. Non debet 22. de Regulis Juris in 6. Tum quia maxima sic aperiretur via dolis, & fraudibus, cum quisquis ad se liberandum à propria sponsa, & cum alia conjungendum, posset quoties vellet alteri spondere, & cum ipsa copulam habere, non sine ingenti animarum periculo, & gravi Reipublicae detrimento, contra omnia Jura clamentia, quod non debeat aperiri via malitiae, & fraudis, & dolus nemini debeat patrocinium impertiri; l. Cum hi, ff. de transactionibus. l. Legatarius, Cod. de Legatis, cap. ex Literis 2. de dolo, & contumacia. Sedes 15. c. Ex tenore 16. de Rescriptis, & c. Tuæ 12. de Clericis non resid. cum similibus. (n. 78.)

102. Octavo, sponsalia dissolvuntur ex parte innocentis, non vero nocentis, per fornicationem, sive à sponso, sive à sponsa post sponsalia commissam. Communis. Et quidem quod solvantur ex parte innocentis, expresse deciditur in cap. Quemadmodum 25. de Jurejurando. Et quod non solvantur ex parte nocentis, caret omni dubio, quia, ut expresse dicitur in l. Non fraudantur 134. §. 1. ff. de Regulis Juris, nemo ex delicto suo meliorem suam conditionem facere potest; Ne, ut habetur in c. Intelleximus 7. de Judiciis: Ne videatur de malitia sua commodum reportare. Peccata enim suos debent tenere Auctores; l. Sancimus 22. Cod. de penis, c. Quæsit 2. de his, que fiunt à majori parte Capituli. Unde pars nocens compelli potest ad nuptias, si pars innocens velit, quia, ut expresse dicitur in cap. Quod ob gratiam 61. de Regul. Jur. in 6. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, & concordat l. Quod favore 6. Cod. de Legibus: Cum rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conveniat, c. Cognoscens 2. de Constitutionibus: Nec debeat aliquis alterius odio praevariari; l. Non debet 74. ff. de Regul. Juris, & cap. Non debet 22. de Regul. Jur. in 6. & ut dictum est, peccata suos debent tenere Auctores; cit. leg. Sancimus 22. Cod. de penis, cap. Quæsit 2. de his, que fiunt à majori parte Capituli. (Sup. n. 78. & verb. Sepultura, n. 122.)

103. Sponsalia dissolvuntur ex parte innocentis, non vero nocentis per fornicationem etiam ante sponsalia commissam, ab innocente tamen ignoratam. In jure enim paria sunt aliquid supervenire, & præcedere ignoranter: Res enim dicitur fieri, quando innotescit, cap. Pastoralis 4. de exceptionibus. (Vid. leg. 9. tit. 3. p. 3. ibi: que despus non debe ser eydo: cum leg. 1. tit. 5. lib. 4. Recop. Castell. ibi: Salvo haciendo:) Item paria sunt in jure non esse, & non apparere; l. Duo sunt 30. ff. de Testamentaria Tutela, l. In lege 77. ff. de contrahend. emptione; adeoque à sensu contrario paria sunt esse, & apparere; (Leg. 10. tit. 13. §. 9. & 7. tit. 16. p. 6. vid. verb. Testamentum, & Tutela.) Tum quia præcedens nocentis fornicatio ante sponsalia commissam ignorata, & post illa primum cognita ab innocente, causat notabilem mutationem ex parte ipsius nocentis, adeoque sufficit ad dissolvenda sponsalia, arg. cap. Quemadmodum 25. de Jurejurando, Sanchez l. 1. disp. 63. n. 5. Pirhing. l. c. n. 61. Reiffenst. l. c. n. 246. & alii plures ibi allegati: Qui tamen id tenent solum de fornicatione sponsæ, & non sponsi.

104. Nec obstat, quod in cit. cap. Quemadmodum 25. de Jurejurando expresse dicitur: Si quis juraverit se ducaturum aliquam in uxorem, non potest opponere fornicationem præcedentem, sed subsequenter, ut non ducat eam in uxorem? Non obstat, inquam, quia talis textus est intelligendus de fornicatione præcedente à sponso prius jam cognita, quia, ex quo probavit scienter,

& voluntarie mores illius, censetur cessisse jure suo, & consequenter non potest amplius illos reprobare, nisi nova superveniente causa, arg. cap. Quemadmodum 17. caus. 32. q. 5. Sic Glossa in cit. cap. Quemadmodum verb. Præcedentem: & Doctores citati.

105. Ob fornicationem sponsæ, sive præcedentem, sive subsequenter sponsalia, potest sponsus ipsa sponsalia dissolvere, etiamsi sponsa fuerit vi oppressa. Sic Pirhing. l. c. n. 61. Reiffenst. l. c. n. 252. Sanchez lib. 1. disp. 55. muni. 7. Silvester verb. Sponsalia q. 10. caus. 7. Navarrus c. 22. num. 27. Layman l. c. n. 11. Sporer loc. cit. n. 272. La Croix lib. 6. p. 3. n. 161. & alii passim; arg. cap. Raptor 33. caus. 27. q. 2. & ibi Glossa verb. Noverit: Et ratio est, quia etiam per talem fornicationem sponsæ fit notabilis mutatio ex parte ipsius, cum reddatur notabiliter vilior, & censeatur viri infame talem ducere, præsertim quia exponeretur periculo habendi alienam prolem pro sua.

106. Item sponsus sponsalia dissolvere potest etiam ob oscula, amplexus, aut tactus impudicos à sponsa libere, & voluntarie admissos, vel exercitos; Pirhing. l. c. n. 61. Reiffenst. loc. cit. num. 253. Sporer l. c. n. 273. Layman loc. cit. num. 11. Sanchez loc. cit. disp. 55. n. 5. & alii: Et ratio est, quia talis sponsa censetur impudice vivere, unde merito sponsus eam horrere potest cum non possit eam sine gravi nota ducere.

107. An autem si uterque sponsus fornicationem commiserit, seu similia oscula, similesque amplexus, aut tactus impudicos voluntarie admitterit, vel exercuerit, & in omnibus casibus supradictis in quibus licet sponso sponsalia dissolvere, liceat etiam sponsæ? Variant Doctores: Affirmativam enim sententiam docet Castropal. Aversa, Krimer, Kugler citati, & secuti à La Croix lib. 6. part. 3. num. 162. dicendo, quod uterque possit à sponsalibus resiliere, quia uterque violat fidem, & sic uterque dat alteri jus resiliendi, cum quoad hæc pares debeant esse sponsus, & sponsa, quomobrem in corporum conjunctione vir, & mulier ad paria judicantur, ut notat Abbas in cit. cap. Quemadmodum §. Illud num. 4. Et quod in pari casu fornicationis, & similis violatæ fidei neuter resiliat à sponsalibus possit, tenent etiam Bonacina q. 1. punct. 8. Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. num. 17. Pontas verb. Sponsalia cas. 45. & alii, quia delictum unius compensatur per delictum alterius, c. Intelleximus 6. de adulteris, & stupro, ibi: Cum... paria delicta mutua compensatione tollantur, & concordat cap. Frustra 75. de Regul. Juris in 6. ibi: Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem se præstitam servare recusat. Nec refert, quod delictum sponsæ censeatur gravius delicto sponsi, quia adulterium uxoris etiam censeatur gravius, & tamen si tam vir quam uxor adulteraverint, delicta mutua compensatione tolluntur, & non fit disortium, cum maritus æque adulter, ac uxor nullum potius Jus ad id habeat, cit. cap. Intellegimus 6. de adulteris, & stupro addita ratione: Cum Matrimonii Jus in utroque læsum consistat, & paria delicta mutua compensatione tollantur, juncto ejus Summario sic expresse dicente: Conjug. Conjugem de adulterio impetere non potest, si & ipse adulterium commisisse convinctus, adeoque, & c.

108. Negativam vero sententiam tenent Sanchez loc. cit. disp. 55. ad num. 5. ad 9. Layman loc. cit. num. 11. & 12. Sporer loc. cit. ad num. 271. ad 273. Bosco Theolog. Sacramenti, part. 5. disp. 11. sed. 2. n. 122. & seq. Coninch. disp. 23. dub. 7. ad num. 56. Reiffenst. loc. cit. ad n. 246. ad 254. Pirhing. loc. cit. num. 61. & 62. & Communio alijam, adeo ut Layman loc. cit. num. 12. Pirhing. loc. cit. p. 62. Sporer loc. cit. num. 271. & alii testentur de communis: Et ratio est, quia delicta non sunt paria, sed turpior est fornicatio, & qualibet impudicitia admissa, seu exercita à femina, quæ à viro, multoque ignominiosius est sponso talem ducere, quam sponsæ tali nubere; arg. leg. Esi crimine 1. Cod. ad Legem Juliam, de adulteris, & stupro, juncta Glossa ibi. l. c. & leg. Palam 43. ff. de ritu nuptiarum. Tum quia ratione fornicationis, sponsæ, & non sponsi, sit incertum, cujus sit futura proles: Nec refert quod ex cit. c. Intellegimus 6.

de adulteris, & stupro, vir non possit repudiare adulteram, si adulter sit, quia longe difficilius permittitur divortium, seu separatio Matrimonii quoad thorum, quam dissolutio sponsalium, quæ ob quamvis notabilem rerum mutationem fieri potest, ut notant citati Doctores, & alii.

109. Limitant tamen recte citati Doctores dictam sententiam in pluribus casibus, nempe in casu quo sponsus cum pluribus fornicationem commisset, ita ut valde vitiosus in hoc cognosceretur: Tunc enim etiam sponsa possit sponsalia dissolvere, quia merito timere possit, ne minus se esset amaturus, aut ei fidem non servaturus.

110. Item in casu, quo ex unica fornicatione prolem haberet, quia tunc censetur adesse in sponso notabilem mutationem sufficientem ad dissolutionem sponsalium, arg. cap. Quemadmodum 25. de Jurejurando; & præsertim quia inde etiam redditur Matrimonium difficilius ob debitam alimentacionem prolis, & plurimas discordias oriri solitas; unde in tali casu sponsa possit sponsalia dissolvere.

111. Item si oscula, & tactus, & amplexus impudici exerciti à sponso sint valde frequentes, ita ut ex frequentia tallium alicujus post sponsalia à sponso cum alia exercitorum justum concipiat sponsa horrorem, tunc enim potest sponsa sponsalia dissolvere, arg. cap. Quemadmodum 25. de Jurejurando; ubi habetur quod in sponsalibus semper continueatur hæc tacita conditio: Nisi contra Regulam desponsationis venerit: contra quam regulam desponsationis clare venerit sponsus frequenter cum alia, seu aliis oscula, tactus, & amplexus impudicos exercens.

112. Nono, dissolvuntur sponsalia per notabilem mutationem ex parte unius supervenientem post contracta sponsalia, quam si pars altera scivisset, aut prævidisset, sponsalia non contraxisset, sique jam contracta dissolvere potest. Communis, per textum in cit. c. Quemadmodum 25. de Jurejurando, ubi ob hujusmodi mutationem ex parte unius supervenientem conceditur expresse alteri parti facultas dissolvendi sponsalia.

113. In specie in bonis animi mutationes notabiles, & sufficientes ad dissolutionem sponsalium sunt sequentes. I. Si alicui ex sponsis superveniat gravis infamia ob proditorium homicidium, ob adulterium, ob furtum, aut aliud grave crimen; tunc enim pars innocens potest à sponsalibus resiliere. Communis, arg. cit. cap. Quemadmodum 25. de Jurejurando. II. Si sponsus cognoscatur esse valde delitiosus ebrietatibus, ludis, scortationibus, aut similibus gravibus vitiosis. Communis, arg. c. c. Quemadmodum: III. Si in sponsu cognoscatur notabilis morum asperitas, & sævitia. Communis, Sævitia enim mariti est sufficiens causa instituendi divortium Matrimonii, textu expresso in cap. Literas 13. in fine, de restitutione spoliatorum, ergo multo magis erit sufficiens causa dissolvendi sponsalia. IV. Si capitales graves inimicitie, odia, & extraordinarie animorum aversiones orientur inter ipsos sponso; Communis arg. cap. Præterea 2. & cap. Requisivit 17. de sponsalibus. V. Si graves, & capitales inimicitie, odia, vel scandala ob id orientur, seu rationabiliter timeantur inter parentes, aut consanguineos Sponso; Communis, arg. cap. Cum in tua 27. de sponsalibus, ibi: De fama, vel scandalo. Et à Sponsalibus recedi potest propter indignationem parentum expresse censuit Rota part. 4. recent. tom. 1. decis. 669. num. 3. p. 10. dec. 19. num. 56. Et Sac. Cong. Concil. in Majoribus. Sponsalium 24. Augusti 1723. expresse declaravit, quod in sponsalibus non est locus coactioni, accedente indignatione parentum, que repletur justa causa dissolutionis. Sic refert Ursaya in Miscellanea 1. Sacro, & profano liter. 4. num. 217. & apud eundem ibid. num. 105. Eadem Sacra Cong. Concil. in Mediolanen. sponsalium 13. Jul. 1725. expresse declaravit, quod dissolvitur sponsalia per denegationem consensus Patris ex justa causa se declarantis nolle Filium Matrimonium cum certa muliere contrahere.

114. In bonis corporis mutationes notabiles, & sufficientes ad dissolvenda sponsalia sunt sequentes. I. Si alteru-

ter ex sponsis incidat in gravem morbum; paralysim, lepram, morbum epilepticum, morbum gallicum; aut alium contagiosum, & incurabilem morbum. Communis, per text. in cit. cap. Quemadmodum 25. de Jurejurando. II. Si oculum, aurem, nasum, manum, pedem amittat. Communis, per text. in cit. c. Quemadmodum: & sponsalia dissolvi per elaudicationem superventam sponsæ declaravit Sac. Cong. Concil. in Spoletana sponsalium 22. Febr. 1698. III. Si unius os graviter male oleat, & medicæ curari non possit; Rota p. 3. rec. tom. 2. dec. 493. n. 47. & Communis Doctores, arg. c. cap. Quemadmodum. Grave enim, & incurabile oris fetorem tolerare in tam arcta corporum conjunctione nimis onerosum esset. IV. Si superveniat præsertim sponsæ notabilis deformitas: Si sponsa enim tempore sponsalium pulcherrima, evadat inde notabiliter deformis, potest sponsa à sponsalibus resiliere, cum in materia Matrimonii admodum æstimetur apud homines pulchritudo mulieris. Communis, arg. cit. cap. Quemadmodum; & præsertim quia inde etiam redditur Matrimonium difficilius ob debitam alimentacionem prolis, & plurimas discordias oriri solitas; unde in tali casu sponsa possit sponsalia dissolvere.

115. In bonis fortunæ mutationes notabiles, & sufficientes pro dissolvendis sponsalibus sunt sequentes. I. Si sponsa, aut parentes ejus, vel promiserunt, aut non possint, aut nolint dare dotem promissam. Communis, textu expresso in cap. Te illis 3. de conditionibus appositionis. II. Si uni ex sponsis superveniat gravis bonorum jactura, & ex honesto statu ad gravem inopiam decidat, etiam sine culpa, v. g. ob bella, incendia, furta, & hujusmodi. Communis arg. citat. cap. Quemadmodum: In tali enim casu intervenit gravis, & notabilis mutatio. III. Etiam si ambo sponsi post sponsalia ad gravem inopiam decidant ob dictas similes causas, nempe ob bella, incendia, furta, & hujusmodi: In tali enim casu potest quilibet pars à sponsalibus resiliere, quia dum ambo ex statu honestiori ad gravem inopiam incidunt, in ambobus contingit notabilis, & talis mutatio, ut ex ipsa minus apti sint ad onera matrimonii sustinenda. Castropal. de Sponsal. disp. 1. punct. 28. n. 4. Sporer loc. cit. num. 282. Reiffenstuel loc. cit. num. 263. Tamb. Bonacina, & alii magis communiter, arg. citat. cap. Quemadmodum 25. de Jurejur. & cap. Per vestras 7. de donationibus inter virum, & uxorem. IV. Si uni ex sponsis comminetur exhereditatio, vel ea rationabiliter timeatur; Rota part. 5. rec. tit. 1. decis. 659. n. 57. & Communio Doctores: Non enim solum malum præsens, sed etiam rationabilis timor mali futuri, ac imminens, causat notabilem rerum mutationem, arg. cap. Requisivit 17. de sponsalibus, & consequenter sufficit ad dissolvenda sponsalia, per text. in c. cap. Quemadmodum: An autem una parte remanente in suo statu, si pars altera ex inopinato fiat notabiliter ditior, aut honestior, possit propterea hæc ab illa resiliere? Variant Doctores. Affirmativam enim sententiam tenent Hurtad. disp. 2. de Matrim. diss. 25. Amicus, Illung, & alii apud Gobat loc. cit. num. 340. dicentes absolute posse talem resiliere, quia mutatio illa in ipso facta causat inæqualitatem, qualis si fuisset ab initio, ipse utique non contraxisset. Negativam autem defendunt absolute Sanchez lib. 1. disp. 59. num. 6. Gutierrez de Sponsalibus, & Matrim. cap. 33. num. 4. Castrop. de Spons. disp. 1. punct. 28. n. 5. Coninch. dis. 23. dub. 8. num. 29. Reiffenstuel loc. cit. num. 272. Pirhing. loc. cit. num. 64. Busembaun, Reginald. Diana, Krimer, Kugler, & alii volentes, non posse talem ob id à sponsalibus resiliere, quia altera pars per hoc non est facta deterior, sed mansit, qualis erat, adeo-

adeoque priari non potest Jure suo: Perez vero *disp. 91. sect. 11.* cum distinctione procedit, dicitque, quod resiliere possit, si iniens sponsalia habuit reflexionem ad aequalitatem divitiarum, vel bonorum: E contra resiliere non posse, si sine reflexione ad dicta contraxit propter aliam causam, quae adhuc perseveret, v. g. ob specialem formositatem, seu pulchritudinem, & hujusmodi; quae opinio satis placet, quia promissio non obligat ultra intentionem promittentis, siquidem *Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum, arg. l. Non omnis 19. ff. de rebus creditis, si certum petatur, & de conditione, cap. Cum olim 38. de praevidendis*, in his videlicet, quae dependent ab intentione agentium, uti sponsalia; & praesertim quia haec ex parte convenit cum secunda negativa sententia. (Vid. *lit. B. pagin. 335. num. 29.*)

118 Decimo, dissolvuntur sponsalia per superveniens impedimentum dirimens, v. g. per affinitatem contractam ex copula carnali habita post sponsalia cum consanguinea in primo, vel secundo gradu alteri sponsorum juncta; *Communis*; stante enim impedimento dirimente, nec licite, nec valide contrahi potest Matrimonium; Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. Matrimon. cap. 4.* adeoque in tali casu sponsalia non obligant.

119 Tenetur tamen qui tale impedimentum sua culpa posuit, impetrare a Papa dispensationem suis sumptibus, si pars innocens velit; *Communis, argum. l. Non fraudantur 134. §. 1. ff. de Regulis Juris*, ubi expresse dicitur, quod nemo ex delicto suo meliorem suam conditionem facere potest: Ne, ut habetur in *cap. Intelleximus 7. de Judiciis: Ne videatur de malitia sua commodum reportare*. Nec pars innocens ad aliquam tenetur expensam, quia, ut expresse dicitur in *cap. Cognoscentes 2. de Constitutionibus. Rem, qua culpa caret, in damnum vocari non convenit*: Nec debet aliquis alterius odio praegravari; *l. Non debet 74. ff. de Regul. Juris, & cap. Non debet de Regul. Jur. in 6. cum peccata suos debeant tenere Auctores; l. Sancimus 22. cod. de panis, c. Quaesivit 2. de his, quae fiunt a majori parte Capituli, (num. 78.)*

120 Quando causa dissolvendi sponsalia est certa, per se loquendo, nulla de Jure communi requiritur Auctoritas Judicis ad dissolvenda dicta sponsalia, sive publica, sive occulta; *Communis*. Nullibi enim in Jure reperitur requisita ad id Judicis Auctoritas.

121 Potest tamen Judicis Auctoritas ad id requiri inter dum per accidens, ut si sponsalia sint publica, & causa ea dissolvendi sit occulta, ratione scandalii evitandi requiritur tunc Judicis interventus, ut notant communiter Doctores.

122 Et quando sponsalia sunt certa, causa autem ea dissolvendi dubia, de Jure, vel de facto, tunc necessario requiritur Judicis Auctoritas pro utroque foro; *Communis*. Et ratio est, quia cum unus sit in possessione sponsalium, non potest per alium ob causam dubiam privari: In pari enim causa potior est conditio possidentis, ut expresse habetur in *cap. In pari 65. de Regulis Juris, in 6. & concordat c. Quod autem 5. de Jurepatronatus, cap. Ad aures 6. de Praescriptionib. leg. Nemo 126. §. 2. ff. de Regul. Juris, & l. In pari causa 128. ff. eodem, ubi expresse statuitur: Quod in pari causa possessor potior haberi debet. Unde cum nemo Judex sit in propria causa, textu expresso in *l. Generali unic. cod. Ne quis in sua causa judicet, vel Jus sibi dicat*, necessario in dicto casu requiritur Auctoritas Judicis. (*Verb. compensatio, num. 3. & lit. R. verb. Restitutio, ori. ult. num. 20.*)*

123 Judex in causis sponsalium, & Matrimoniorum est solus ecclesiasticus; *Communis & certa*, utpote definita a Concil. Trid. *sess. 24. Canon. 12.* ibi: "Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad Judices ecclesiasticos, anathema sit."

124 Et quidem Jure ordinario in causis Matrimonialibus Judex competens est solus Episcopus; *cap. Accedentibus 12. de excessibus Praelator. & Concilio Tridentin. sess. 24. de reformat. Matrimonii, cap. 27. verb. Ad haec*, ibi: *Causa Matrimoniales non Decani, Archidia-*

coni, aut aliorum inferiorum Judicio, sed Episcopi tantum examini, & Jurisdictioni relinquuntur.

Nomine autem Episcopi hic intelligitur etiam Vicarius Generalis, etiam absque speciali ad id mandato; *Communis, arg. cap. final. de Cognat. Spiritual. & c. 1. de frigid. & malefic.*

Item Vicarius Capitularis, sede vacante; *Communis*: Ad ipsum enim transit ordinaria Episcopi jurisdiclio; *c. Hi qui 11. cap. Cum olim 14. de major. & obedien. Cum similibus.*

Judex autem laicus, seu secularis nullimode potest se ingerere in causis matrimonialibus; *Communis*: Ista enim sunt causae ecclesiasticae, & spirituales, in quibus Judex laicus, seu secularis nullimode, nec principaliter, nec incidenter cognoscere potest; *cap. Decernimus 2. cap. Qualiter, & quando 17. de Judiciis, cap. Nullus Judicium 2. de foro competent. cap. Lator 5. cap. Causam quae inter 17. Qui filii sint legitimi, cum similibus.*

Alia ad rem; Vide *verb. Impedimenta Matrimonii, 128. verb. Matrimonium, verb. Sponsi, verb. Stuprator.*

Sponsalia Judaeorum majorem tribuunt potestatem in sponsam, quam inter Christianos, ita ut corruptor alterius sponsae pro adultero habeatur, & adulterii poena puniatur: *Benefic. XIV. tom. 2. constit. 28. incip. Apostolici Ministerii §. 19.* Hinc est, ut sponsus a Judaismo ad fidem christianam conversus, hujusmodi potestatis jure ad Baptismum offerre possit sponsam, quae sic oblata retinenda est, & probanda; *Idem ibid.*

Sponsalia apud Hebraeos inter sponsam ex una, & sponsae parentes, aut proximiores agnatos ex altera parte contrahuntur, vocantur autem eorum lingua *Tenaim*; *Idem ibid. §. 63.*

Sponsalia Hebraeorum tunc valida, & rata censentur, quum in scriptis legaliter reddacta sunt, addita testium subscriptione, vel juramento coram testibus praestito inter partes conventas; *Idem ibidem §. 65. & 66.*

Sponsalia ita contracta non obligant mulierem desponsatam ad contrahendum matrimonium, sed si ipsa recuset, inobediencia erga parentes tantummodo arguitur, *Idem ibid. §. 64.* Si tamen copula post sponsalia sequatur, utraque pars adigitur ad contrahendum matrimonium, non tam vigore contractus, quam in poenam commissi reatus; *Idem ibid. §. 67.* Sponsalia etiam valida, ut praefertur, contracta, facile inter Hebraeos dissolvuntur auctoritate Rabbini, qui contrahentes a juramento absolvit, *Idem ibid. §. 66.*

Sponsus a Judaismo ad fidem conversus, si sponsam offerat ad Baptismum, contractum sponsalium probationes exhibere tenetur, *Idem ibid. §. 69.* Si probetur sponsalia juxta nationis suae mores contraxisse, sponsa ad Catechumenorum domum deferri debet, ibique quoadmodum oportebit, non tamen ultra quadraginta dies, retineri, & probari, *Idem ibid. §. 70.* Si autem probationes tales exhibeat, quae juxta Christianorum dumtaxat leges valida sponsalia evinceret; tunc mulier extra vicum, seu *Ghetum*, evocari, & in Ecclesia, aliove idoneo loco de amplectenda Fide interrogari debet; non tamen retineri, nisi conversionis spem ostendat, *Idem ibid. §. 69.*

Sponsalia coram Parocho, ac duobus testibus non celebrata, valida sunt, nec potest Episcopus irritare, *Idem de synodo diocesana lib. 7. cap. 68. num. 1. & l. 3. notificat. 5. ubi afert ad id plura decreta Sacrae Congregationis Concilii. Vide superius num. 24. ubi jam dixi, ad valorem sponsalium non requiri praesentiam Parocho, & testium.*

Sponsalia inita invitis parentibus, quamquam judicari possunt valida (juxta dicta supra num. 25.) illicia sunt tamen, & detecto dissensu parentum solvi possunt, etiamsi jurata sint, quod invicte probat Archiepiscopus Rossanensis D. Muscettola in dissertatione legenda in tom. 1. Operum Zauli ad statuta Faventiae: *c. Inst. Eccl. 45. §. 15.*

Si alteruter ex sponsis se ad alias partes transferat incio altero, admodum est Superior ecclesiasticus, qui

qui tempus aptum assignet absentis, ut redeat, quo elapso si non pareat, vinculum dissolvitur. *Ibid. §. 5.*

140 Sponsalia absque interna voluntate exequendi promissa, dubium est, ut obligent; est tamen grave peccatum sic promittere. *ib. §. 16.*

143 Promissio de praesenti absque praesentia Parocho, & testium, neque valet ratione matrimonii, neque sponsalium, ut ex pluribus decretis Sacrae Congreg. *ibidem §. 24.*

(Haec materia satis superque ex *tit. 1. usque ad 10. p. 4.* demonstratur: in executionem a jure canonico dispositi, leges in eisdem titulis comprehensa, ferè omnes, fuere publicatae: in eis agitur, de *Sponsalibus*; de *Matrimonii*, de *utrisque clandestinis*, de *Conditionibus in spimet appositis*, de *Servorum conjugii*, de *Consanguinitate*, & *Affinitate*, de *Cognitione Spiritualis*, de *Impotentia coeundi*, de *Accusationibus in matrimonium*, & denique in *tit. 10. de Divortijs*; consistatur hic, & praeter alia, quae per inscriptiones praedictas titulorum in cognitionem veniunt, recognoscere convenit adnotatum *lit. A. p. 136. col. 2. lit. D. pag. 59. pag. 93. 120. lit. H. pag. 21. lit. I. ex pag. 50. ad 78. & lit. M. ex pag. 27. ad 31. &c.)*

144 Quod ait Auctor num. 55. & *plur. sequentibus*, contractus scilicet Sponsalibus, renuente inice Matrimonium compelli posse ad illud inendum etiam per censuras, id non est absolute verum. Distinguere oportet virum inter, & mulierem. Si vir renuat, potest utique etiam per censuras compelli ad matrimonium inendum. Et de eo loquuntur textus in *cap. Praeterea, & in c. Ex literis il secundo de Matrimon. At si renuat mulier, moneri ea debet, non item cogi etiam per censuras ad inendum Matrimonium, & de ipsa loquitur textus in *cap. Requisivit 17. de Sponsalibus.**

149 Et ita conciliando mox allegatos textus processit Rota, & signanter in *Majoricen. Sponsalium 24. Aprilis 1746. §. 10. & in confirmatoria 16. Januarii 1747. §. 56. & sequent. coram Eminentiss. Bussio, & in Constantien. Sponsalium 26. Jun. 1748. §. 7. coram Eminentissimo Elephanutio, & 17. Januarii 1749. §. 4. cor. bon. mem. de Vais.*

150 Non deest autem (ut recte inquit Rota in *dist. Majoricen. Sponsalium 16. Jan. 1747. §. 7. coram Eminentiss. Bussio*) "causa, propter quam mitius in foemina, & acrius in masculum animadvertatur. Naturalis oppido imbecillitas levitasque mulieribus non longe est, ut despectum censurarum facile pariat, magisque suspicari potest, ne foemina a fide, quum coacte sponsondit, facili desiciat. Ceteroquin summum est inter virum & mulierem in hac materia discrimen; ut mulier si a sponsalibus declinet, nullum irroget praedjudicium viro, cui altera ad nubendum nunquam deficiet foemina. Sin vero a sponso mulier relinquatur, gravissimam ipsa nominali subit diminutionem."

151 Num post censuras possit vir praecise cogi ad Matrimonium inendum? Negat absolute Auctor n. 60. & *duob. seq.* At possunt esse casus, in quibus cogi praecise queat vir ad inendum Matrimonium. Talis meo judicio est, si quis puellam impraegnavit, & condemnatus est, ut eam aut ducat, aut certa summa definita dotet.

154 Quid si nihil in bonis habeat, aut determinatam quantitatem pecuniae solvere nequeat? Id sane videtur superesse, ut praecise cogatur ad inendum Matrimonium. Fluit hoc ex natura *obligationis alternativae*, in qua alterum absolute, & praecise debetur, si alterum ex alternativa praestari haud possit. Sine omni effectu foret sententia, si stuprator neutrum praestare vellet, nec satisfacere Justitiae, velque laesae. Hoc igitur casu admitti potest, ut vel inquit ad Matrimonium inendum cogi vir possit, nec attendi debeat ejus reclamatio, quippe quae nullum producere effectum potest. Et ita usu servatum est a pluribus tribunalibus.

157 Ast sufficit mihi pro mea conclusione habere textus Canonicos, & Doctores ibi allegatos. Et quamvis textus in *cap. Requisivit 17. de Sponsalibus* loquatur de muliere dicendo; *Respondemus, quod cum libera debeant esse Matrimonia, monenda est potius, quam cogenda*, *FERRAR. BIBLIOTH. TOM. VIII.*

cum conditiones difficiles soleant exitus frequenter habere, ly potius tamen Glossa ibi secuta passim a Canonibus, & Doctoribus, tradit accipiendum esse pro *prius, ibi Sed ex parte; potius monenda est, id est, prius monenda est, & postea cogenda*. Accedit, quod textus *cap. Praeterea 2. de Sponsalibus* loquitur genericè de Sponsis, sive viris, sive mulieribus, ibi: *Praeterea hi, qui de Matrimonio contrahendo pure, & sine omni conditione fidei dederunt commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut praestitam fidem observent. & Eminentiss. Card. Cavalchini in causa Gallipolitana Sponsalium*, eam exponens decidendam a Sacrae Congreg. Concilii, cujus tunc erat Eruditissimus, & practissimus Secretarius, de Lucretia Maniera renuente matrimonium contrahere cum Franco de Acugna, quacum prius sponsalia contraxerat, sic refert: *Cumque ibidem Amittites Gallipolitanus, & Neapolitanus iterum sententiam Lucretiae per seipos indagassent, eam invenere tam obfirmato animo in hoc rejiciendo Conjugio, ut nec etiam denuntiata anathematis poena dimoveri à sententia potuerit*. En ibi agebatur de renuente muliere, & tamen fuit ei denuntiata anathematis poena. Tum quia ratio à Pontifice Lucio III. adducta in *cap. Requisivit 17. de Sponsalibus* est ista: *Cum conditiones difficiles soleant exitus frequenter habere*. Quae ratio nedum militat, cum cogitur mulier invitata ad ducendum inivisum virum, quam dum cogitur vir invitatus ad ducendam inivisam mulierem. Immo à fortiori, ex Sacra Scriptura, militat in coacto viro ad ducendam mulierem inivisam: *Proverb. enim cap. 30. num. 21. ad 33. dicitur expresse: Per tria movebit terra... inter quae pro odiosam mulierem cum in Matrimonio fuerit assumpta*. Terra autem non dicitur moveri per odiosum virum, cum in Matrimonio fuerit assumptus. Hinc si adhibitis debitis monitionibus, & comminationibus, adhuc sponsus, vel sponsa renuat cum tali nubere non potest finaliter cogi ad nubendum, sed debet dimitti & absolvi, praesertim si advertatur magna animi aversio, ita ut ex tali futuro Matrimonio forent timendae perpetuae inimicitiae, jurgia, scandala, & alia similia gravia incommoda. Sic Rota *part. 4. recentior. tom. 3. decis. 655. numer. 10. & 11. part. 16. decis. 145. num. 6.* & abstinendum esse à coactione reluctantis sponsi, vel sponsae in similibus casibus, ac permittendas nuptias cum illa, censuit Sacrae Congreg. Concilii in *Senogallien. Sponsalium 1. Septembris 1714. lib. 64. Decretor. pag. 345. & in Majoricen. Sponsalium 24. Aprilis 1723. lib. 73. Decretor. pag. 369. & in Gallipolitana Sponsalium 28. Februarii 1733. apud Thesaurium Resolution. Sacrae Congreg. Concil. in *dist. Gallipolitana tom. 5. & Mediolanen. Sponsalium 13. Jul. 1725. lib. 75. Decretor. pag. 353. & in Neapolitana 17. April. 1728. lib. 78. Decretor. pag. 275.* per quae omnia patet responsio ad ea, quae subiungit d. Additor *ibid. n. 8. & seq.* nempe num post censuras possit vir praecise cogi ad Matrimonium inendum. Ceterum non negaverim Ego sequendam esse Rotam in allegat. *Majoric. & Constantien. Sponsalium*, ubi concurrant ipsissimae circumstantiae ibi repertae.*

SPONSI. SUMMARIUM.

- 1 Sponsus, & sponsa unde dicantur.
- 2 Conversaciones, & cohabitaciones sponzorum sunt ab Episcopis omnino prohibenda sub multa.
- 3 Sponsi divites invicem conversantes puniri non possunt, nisi multa infra duos duatos, pauperes vero solis Penitentiae salutariis.
- 4 Quomodo cohabitatio sponzorum sit punibilis, Visitaciones tamen, & conversaciones praesertim in praesentia consanguineorum non sunt punibiles.
- 5 Sponsus an, & quomodo visitare possit sponsam in clausura Monialium existentem, remissive.
- 6 Sponsi, vel sponsae fornicatio cum alia, vel cum alio commissa, an addat malitiam injuriae distictam, &